


1. Calovius, Abraham, Decanus Collegii Theologici: orationi
 padege Pauli Hafmanni --- invitad. 1663.
 1. Kirchmair, Christian: De Theologiae. 1663.
2. Klengelius, Christian: De dominio. 1663.
3. Klengelius, Christian: Sceleton chronologicum
 seu methodica compilatio Temporum, quae in
 Jure Canonico, Civili, Fundali et Saxonicis occur-
 runt. 1663.
4. Klengel, Christian: De contractibus consensuali-
 bus. 1663.
5. Klengel, Christian: De consulis Romanorum.
 1663.
6. Lederer, Michael Friedr: De possessione. 1663.
7. Lederer, Michael Friedr: Jus bestiale. 1663.
8. Lederer, Michael Friedr.: De jure bestiali Vom Recht
 der Wilden Thiere. 1663. 1725.
9. Lederer, Michael Friedr: De justitia belliprovata.
 1663.
10. Lederer, Michael Friedr: De seditione defen-
 sorum imperfectae aetatis. 1663. 2. 2. 2. 2.
10. Lysen, Wilhelm: De rebus communibus. 1663.

1196

12. Leiser, Wilhelm: De apanagio. 1663. 2 ~~part.~~ ^{part.}
13. Leiser, Wilhelm: De lenterationibus. 1663.
14. Leiser, Wilhelm: De seruo 1663.
15. Martini, ^{Werner} Wilhelm Theodor: De sanctitate
et iustitia legum Romanarum. 1663.
16. Martini, ^{Werner} Wilhelm Theodor: De iure, quod ratio-
ne feudum dicitur et regulariter compet. 7. 1663. licite
16. Martini, ^{Werner} Wilhelm Theodor: De iure, quod ratio-
ne feudum dicitur et regulariter compet. 7. 1663. licite
17. Martini, ^{Werner} Wilhelm Theodor: De feudis amissionibus
et amissionis devolutione 1663.
18. Martini, ^{Werner} Wilhelm Theodor: De personis, quae
feudum dare vel accipere possunt 1663
19. Martini, ^{Werner} Wilhelm Theodor: De rebus, quae in feudum dari possunt 1663.
19. Martini, ^{Werner} Wilhelm Theodor: De successione
proxima collaterali et praescrip-
tione feudi: 1663.
20. Martini, Werner Theodor: De actionibus ab feudum
competentibus, et iudicio feudali: 1663.
21. Martini, Werner Theodor: De autoritate iuris
feudalis feudorum, origine et defensione
1663.

- 22 25. Martini, Werner Theod.: De jure Saxonum veteris et
modernis in genere. 1663.
- 23 24. Martini, Werner Theod.: De variis feudi divisi-
onibus. 1663.
- 24 25. Martini, Werner Theod.: De successione in feudo
descendentium. 1663.
- 25 26. Martini, Werner Theod.: De investitura feudi. 1663 -
27 exempl.
- 26 27. Nerges, Joachim: De jure debitoris, ne egeat. 1663.
27. Wuechler, Jacob: De jure creando doctores. 1663.
28. Ziegler, Karper: De Competenti delinquentium
Judice et loco. 1663.
- 29 ²⁴ 30. Ziegler, Karper: De notatis contractu. 1663.
31. Ziegler, Karper: De juribus majestatis, quae
est de jure conferendi dignitates, tum Ecclesi-
asticas, tum Civiles. 1663.
- 32 ²⁴ Ziegler, Karper: De singulari serenissimi electo-
ris Saxoniae auctoritate. 1663. 2 Bndl. 1663
et 1679



3
FELICITER!
DISCURSUS JURIDICUS

De
DOMINIO,

Quem
Consensu Magnifici Jctorum ordinis

PRÆSIDE
RECTORE MAGNIFICO

VIRO

Nobilissimo, Consultissimo, Excellentissimo

DN. CHRISTIANO KLENGELIO,

Jcto & Antecessore Celeberrimo, Curia Electo-
ralis, Consistorii Ecclesiast. Scab. & Facult. Jurid.

Assessore Gravissimo,

Domino, Præceptore ac Patrono suo

æternum colendo

Publicè defendet

AUTOR

CUNO Friederich von Bodenhausen/

Nobil. B.

In Auditorio Jctorum

Ad d. Julii.

✻ ✻ ✻

Wittebergæ, Literis MICHAELIS Wendt/

Anno MDC LXIII.

XX.



GENEROSIS, NOBILISSIMIS
ET PER QUAM STRENUIS

VIRIS

DN. OTTONI WILlichio
à Bodenhausen/

Hæreditario in Rhadis/ &c. Parenti suo
filiali observantia ætatem colendo,

ut &


DN. Hans à Bodenhausen/

Supremo vigiliarum Equiti, Hæreditario in
Wulffingroda & Stöcken/ Patruo suo summa
animi reverentia suspiciendo,

*Exercitium hoc Juridicum
in debita, reverentia, honoris
& amoris fidem,*


dat, dicat, consecrat

CUNO Friederich à Bodenhausen/
Nob. B.



JESU JUVVA!

THES. I.



Dominem, creaturam omnium creaturarum nobilissimam, à summo rerum conditore ad sui ipsius imaginem esse creatum, sacrae docent paginae. Præditi ea ratione Principes generis humani singulari quadam omnium virium, superiorum præcipue & principalium animæ facultatum harmonia: dum ratio subiecta DEO, & huic vicissim cæteræ animi facultates, nec animæ sic obsequium detrectabat corpus. Nec dubitandum, perfectissimam illam & concreatam felicitatem ad posteros fuisse propagatam, nisi statim Satanæ astutia ab integritate illa deducti fuissent protoplasti nostri. Unde turpissimâ illâ hodieq; deplorandâ primorum parentum à DEO defectione, ratio & voluntas rebellavit DEO; Hinc & rationales animi facultates & corpus ipsum rationi rebellare ceperunt. Interim ingenti illâ depravatione nondum ablata penitus divinâ benevolentiam imago divina, restant potius hodieq; reliquæ illius, dictitantes, quid conveniens, aut disconveniens menti ac voluntati divinæ; discernentes rectum de honesto ac turpi, hoc vetando, illud præcipiendo; Ostendentes tanquam

A 2

norma

norma ac regula, quâ ratione actus humani instituendi ordinandiq; sint, quoq; modo aliquid licitum aut illicitum sit. Et hoc vulgò Jus naturale vel à naturâ naturante vel naturâ naturatâ dicitur. Concernit Jus illud tantum actuum moralium necessitatem, quatenus nempe homines in se & in statu naturæ considerantur, nec continet homines in civili societate viventes. Ast civilibus constitutis societatibus, civilia quoq; Jura condi, secundum quæ homines non sigillatim, sed in civili illa societate degentes, vitam actionesq; instituerent suas, summa hîc necessitas exigebat. Inducta eadem ratio naturalis fvasit gentibus, ut novum aliquod atq; commune jus inter sese constituerent, juxta quod ipsi in hoc societatis genere dirigerentur, quodq; communi tacitoq; gentium consensu factum appellatumq; est jus Gentium. Et hujus præcipuum effectum esse proprietatem & distinctionem dominiorum, ex qua & alia quam plurima ad conservationem societatum civilium spectantia profluxerunt jura, omnium ferè eruditorum hætenus meruit calculum.

II. De cætero, etsi scopum nostrum non feriat famosissima illa Moralistarum æque, ac Jctorum controversia: An primis mundi incunabulis rerum communio floruerit; interim si dicendum, quod animo sedet, ita rem comparatam fuisse arbitror. Placet nempe discernere statum integritatis à statu corrupto, ita ut rerum consumptibilium usus in utroq; statu nunquam sine proprietate esse possit. Potestas enim utendi consumptilibus supponit facultatem eas destruendi & destructas sibi appropriandi: Sed nemo de ea sibi gloriari poterit nisi proprietatis & domini nixus titulo. Natura itaq; harum rerum negotium

hoc

hoc satis reddit facile; sed quoad alias res mobiles aut immobiles, nolim statum integritatis cum statu corrupto confundere. Quò minus enim in statu feliciore liberis protoplastorum, si is perdurasset, talem adscribere audeam proprietatem, ut, etsi alteruter re aliquà, quam occupavit, amplius non utatur, alter ab usu istius rei & occupatione prohiberi possit, quam plurima me inducunt ratiocinia. Summa simplicitas, quã induti primi parentes, ejusmodi exclusionem haud admitteret; præprimis quòd tam vasta terrarum latitudo exiguo illi hominum numero facilè suffecerit. Et neutri insuper defuerit facilis commoditas & locuples materia, alterum in rebus alterius generis occupando utendoq; præcludere. Neq; tamen hanc sententiam formulæ divinæ donationis *Gen. I. v. 28.* repugnare arbitror; Nullus quippe nego, DEUM Ter. Opt. Max. toti & universo humano generi liberam disponendi de rebus sibi subjectis facultatem largitè concessisse; Interim & illud negari vix poterit, quòd Abel (si in concreata protoplasti perstitissent felicitate) agro occupato amplius non utente, Cain jurè eundem occupare potuerit, quòd & vice versa procedere videtur. Constat itaq; nos neutiquam defensare primam rerum cõmunionem, prout nonnulli frustra illius propugnationem sunt aggressi. Afferimus potius constanter cum famigeratissimo *Dn. Johan. Strauchio de Imperio Mar. c. 1. & Nobilissimo Dn. Leisero in Disput. de proprietate rerum Thes. 6.* Jus in rerum universitatem per divinam donationem primis parentibus concessum, omnis proprietatis expers haud fuisse. Nihilominus tamen desinente alterutro in statu integritatis uti re quadam ab illo occupatã, quòd eandem occupandi alteri via haud fuisset præcludenda superius

adducta svadere videntur rationes: Nec obicem ponere potest, quod Adamo soli existenti totus terrarum orbis cesserit, ut hâc ratione illa desitio ab usu rei frustra hîc concepta videatur; præcipuè quod *Ecclesiastes c. 17.* dicat. Dedit illi non illis potestatem illorum, quæ sunt supra terram. Verùm accuratissimè huic dubio occurrit *Nobil. Dn. Leif. d. d. Thes. 7.* partim ex divinæ traditionis formulâ divinam multiplicationis benedictionem continente, partim ex nimia omnium rerum ad victum destinatarum abundantia. Supponit itaq; nostra sententia feliciorē in concreata felicitate perduratiōem. Cæterum supposita fragilitate & generis humani incremento ipsa ratio, non tantum ob defectum amoris & justitiæ nimiam producentem inæqualitatem & iniquitatem, sed etiam ob locorum distantiam & omnis fraudis ac malitiæ tranquillitati repugnantis evitacionem svasit rerum appropriationem. Neq; tamen omne hominum factum ab hâc ipsâ excludendum censemus, inducti itidem particula *subjicite eam*, in divina traditionis formula reperta. Et hoc fortassis *Jctus in L. 1. ff. de A. vel A. Poss.* intendit, Dominium rerum à naturali possessione cepisse asserens. Concedimus interim utraq; manu, posse & possessionem à Domino incipere, considerato scil. Dominio in actu primo, quatenus id per possessionem demum deducitur in actum secundum. Sed an ea *Jcti* fuerit mens, de eo quam maximè dubitaverim, præcipuè quod contextus aliud ostendat, & verba in dubio in potentiori significato sint intelligenda. Certum est, rerum mobilium proprietatem per occupationem cepisse, quæ eæ ita Dominio possessoris subjectæ, ut sine injuria occupanti auferri nequeant. *Dn. Strauch. d. Tit. Thes. 7. Dn. Leif. d. d. Thes. 9.* Rerum verò immo-

immobilium possessionem & proprietatem & occupatione & divisione à primis parentibus acquiri potuisse non improbabile censet, *Dn. Leiferus d.d. Thes. 11. 12. & 13.* De cætero dicta hæcenus saltem rerū creatarum Dominia ab hominibꝯ acquisita ante diluviū spectant; quid verò de rerum acquisitione post diluvium asserendum certò, non minus hîc notatu dignum arbitror. Ut paucis me absolvam, itidem occupatione proprietates regionum à gentibus primitus quæsitæ putaverim, ita ut Gens in certo confidens loco, quem semel occupavit, ab alio turbari non possit. Nec ineptum foret, conjicere, rupto sermonis commercio præsentibus cujusq; nationis patribus familiâs divisione gentibus proprietates fundorum acquisitas esse; Ut adeò tam ad acquisitionem quàm continuationem fundorum Domini dispositionis humanæ auxilium ad partes quàm maximè vocandum. Quicquid sit, hæc omnia eò collimare videntur, ut Hermogeniani in *L. 5. ff. de l. & l. confirmatam* darent sententiam, quæ Dominiorum distinctio Juri Gent. adscripta.

III. Præmissâ Dominiorum distinctionis origine, accuratius pro instituti ratione pertractanda venit ipsius Domini natura. Vestigiis verò insistens Ulpiani Jcti nostri in *L. 1. ff. de l. & l. inq̄uentis: Juri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen Juris descendat.* Id mihi negotii credidi solum dari, ut evolvam prius, unde vocabulū Domini suam habeat originem. Dominium itaq; à Domo dictum esse apparet exinde; sive quod olim Dominia eatenus tantum porrigerentur, quatenus domestici fines; sive quod propria & nostra usitatè à Domo appellentur domestica. *Wesenb. ad ff. de Acq. rer. dom. n. 2.* sive quod etiam primus Dominus, & per consequens primum Dominium in do-
mo

mo esse cæperit. *Vacon à vacun. L. 2. declarat. Io. 43. n. 6.*
Subiecta enim post lapsum tristissimum in pœnam de-
fectionis satis acerbam Eva Adamo *Gen. 3. v. 16.* Me-
diante deinceps uxore pater adeptus potestatem in
liberos, quod partus seqvatur conditionem ventris.
Translatum tandem & illud Dominium, inventa Jure
gentium servitute in servos. Graduali interim ea po-
testas à patre familiâs exercebatur modo. Servis enim
dominicè, uxori politicè, filiis regiè imperat, juxta
Philosophorum Principis sententiam *1. Pol. 12. & 13. 3.*
Pol. 6. Nunquam tamen illud illius Domini latè dicti
exercitium fines domus transgressum est. Unde & Ul-
pianus in *L. 195. §. 2. ff. de V. S.* Patrem fam. eum vocat,
qvi in domo Dominiū habet. Neq; tamen Dominium
actuale perpetuò patremfam. constituere, sed potentiã
quandoq; dominandi sufficere cum *Gaddeo add. L. p. m.*
1074. assero. Usu demum subsequenti convivia quoq;
appellata fuère Domina non tamen omnia, sed ea tan-
tum, quæ domi celebrabantur; hinc is, qvi convi-
via instituebat, Domini titulo decorabatur. Distincta
eò fine Domina à sodalitiis, quod illa domi à privatis,
hæc publicè & solenniter à sodalitatibus, aut magistra-
tibus præbeantur, teste *Connan. comment. Jur. Civ. lib. 10.*
c. 5. n. 7. p. m. 1017. Ulterius ad Principes compellendos
illa Domini vox pertracta. Unde *Vivius Zeno, teste*
Marcello in lib. 3. ff. de his quæ in test. del. Antoninum Im-
peratorem Dominum appellavit. Germanis præcipuè
hæc vox quam maximè usu venit, dum Principes suos
dupliciter compellant Herr Herr / altero reverentiam
& honorem, alterò Imperium indigitantes; etsi ab-
solutè appositum Imperium importare soleat. Sed ut
aliàs nomen ortu bonum, hominum vitio in deterius
sæpius fuit mutatum; Sic & Dominus deinceps appel-
latus

latus, qui primariâ intentione privatam, secundariô verò publicam respicit utilitatem, juxta communia Politicorum principia. Unde Romanis nomen id adeò odiosum erat, ut quamvis Caligula Deorum habitu incedens & elatus se Dominum dici atq; insigne regni capite neçtere tentaverit, teste *Aurel. Victor. Histor. abbrev. p. ult. ubi de Caligula.* Alexander tamen atq; Tiberius ut maledictum & improbum, imò ut contumeliosum exhorruerunt, seq; amplius dominos vocari vetuerunt, ut notat *Sveton. in Tiberio c. 27. Lamprid. in Alex. Sever. p. 115. Edit. Salmas.*

IV. Insuper & hodiè vocabulum Domini assignatur plurimis honoris & urbanitatis causa. Sic uxores maritos suos appellabant *L. 57. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Et mulier marito suo blandita dominulum suum vocabat apud Scævola. Sic cliens patronum, sic debitor creditorem nominat *in L. 22. in princ. ff. ad L. Falcid. L. 26. & seq. de constit. pecun.* Et moris est, ut & quosvis obvios Dominos salutemus, quorum nomina ignoremus *Sen. L. 1. Epist. ita & Martialis,*

Cum te non nossem, Dominum regemq; vocabam.

Imò assignatur quoq; vocabulum Domini tutoribus & curatoribus *L. 7. §. 3. ff. pro Empt. si officio scil. suo rectè functi fuerint.* Nec præsentem assignamus locum significationi illi, qua vox Domini denotat potestatem quamcumq; seu facultatem ad aliquid. Sic Imperatorem nostrum sacratissimum mundi Dominum vocari constat *ex l. 9. ff. ad L. Rhod. de Jactu.* Ita & minus accuratè vocabulum Domini accipit *Valent. Guil. Försterus Tract. de Domin. c. 2. n. 13. pro patrimonio privato.* Confunderetur enim hac ratione jus in re, & ad rem seu ad personam; Siquidem constat, vocabulum patrimonii significare non tantum jus circa rem,

B

sed

sed etiam ea sub suo ambitu complecti jura, quæ in personam nobis competunt. Neq; enim novos Justinianos latere potest, patrimonium pro re subjecta universas alicujus divitias, bona & substantiam universam denotare *L. 1. §. 7. ff. de Off. Praef. Urb. L. 20. ff. quod metus causa L. 9. §. 1. ff. de Min. L. 25. §. 1. de petit. hered. L. 1. ff. de Usuf. ear. rer. quæ usu consum. §. 1. Inst. de R. D.* Qvis autem negaret, jura ad rem seu in personam æquè patrimonio nostro assignari, ac jura in re. Ultimò nec illi subscribimus significatui, quo Dominii nomine aliquando venit quodcunq; jus in re interpretatos constitutum. Ita enim omnes juris species in re nomine Dominii denotari possent. Sed potius in nativo & proprio sensu hic acceptamus cum *Nob. Dn. Habn ad Par. Wesenb. de A. R. D. Part. 2. n. 3. p. 657.* pro jure illo, quod quis habet in ipsam rei substantiam, seu pro jure eò, quo rei corporalis usus & alienatio in arbitrio ac voluntate possidentis est, & ita differre Dominium à reliquis speciebus juris in re, inferiùs latius tractaturi sumus.

V. Restat hic potius ut & paucis agamus de ipsius vocabuli Dominii Synonymia. Reperiuntur enim alia quodq; vocabula, quibus Dominium insignitur, quæ præ reliquis est vocabulum mancipium, quod antiquitùs à Romanis in hac significatione frequentissimè usitatum fuit, teste *Varron. Lib. 4. de Lingua Latina* cujus verba hæc sunt: *Nihil dat fortuna mancipio.* Unde & res mancipi & nec mancipi proficiscuntur; & mancipatio dicta quod sit translatio civilis Dominii *Ulpian. in fragm. Tit. 19.* Deinde & Dominatio idem erat ac Dominium *L. 78. in fin. ff. de A. vel A. H.* Significat & Dominatus quandoq; Dominium, siquidem hoc vocabulo Cicero sæpè usus est, item Dominicum sive Dominii

minii patrimonium 2. P. 35. ibi Episcopi & Clerici ea,
 quæ in Dominio habent & feuda his apta olim dederant &
 hodiè dant. Pro Synonymis quoq; venditantur vulgò
 Dominium & Dominium proprietatis in L. 46. §. 1. L. 74.
 de furt. L. 4. C. de probat. L. 13. & 36. ff. de A. R. D. §. 44. &
 45. Inst. de R. D. Et hanc acceptionem antiquioribus
 Jctis facilè concesserim, si vocem proprietatis in
 latiori ac improprio sensu acceperint, sed si de strictio-
 ri ejusdem significatu incidat sermo, omninò discer-
 nenda illa satis distincta vocabula cum Imperatore
 in §. 1. & ult. Inst. de Usufruct. Ita quippe proprietatem
 esse partem Domini pleni non absurda mihi videtur
 sententia. Tandem & Possessionis vocabulum inter-
 dum à Jctis pro proprietate usurpatum non una vice
 in nostro reperire licebit jure, præcipuè in L. 78. ff. de
 V. S. L. 4. C. de Contrab. Empt. L. 5. §. 10. ff. de rebus eorum
 quæ sub Tut. & aliis infinitis. At verò si accuratius loqui
 velim, dicendum potius cum Jcto in L. 12. §. 1. ff. de Aq.
 l. amit. Poss. proprietatem cum possessione nihil com-
 mune habere. Nisi forte asseramus, propter volunta-
 tem agentium & incuriam loquentium verba quàm
 sæpissimè ad improprium sensum detorqueri. Nec
 dictu improbabile, possessionem ibidem non propria
 vocis vi & ἐνέγγεια, sed per quandam interpretationem
 & metonymiam causæ pro effectu, denotare Domi-
 nium: prout superius Dominium rerum à possessione
 incepisse asserui.

VI. Absoluta hætenus nominis trutinatione,
 operæ pretium exigit, ut inquiramus in ipsius rei na-
 turam, cujus dilucidiori intellectui præcipuè con-
 ducet prænotata definitio Domini. In hujus finitione
 hætenus mirificè desudasse Doctores, testantur innu-
 meræ eorum descriptiones, quæ passim apud Autores

reperiuntur; Aded, ut vix certi quicquam statuere
liceat. Earum præcipuas, ut recenseam ob eviden-
tiores hujus rei cognitionem, haud incongruum
mihi videtur. Arripiunt autem nonnulli Bartoli sen-
tentiam in L. 17. §. 1. ff. de acq. vir. Poss. desinientem *Dominium,*
quod sit jus de re corporali perfectè disponendi, nisi si quis lege
probibeatur. Hanc descriptionem tanquam mancam
ac mutilatam supplere conatur. Myns. §. 1. *Inst. de R. D.*
n. 4. hoc modo: *Dominium est jus de re corporali perfectè*
disponendi & vindicandi, si copiam non habeas, nisi si quis lege
aut conventionem probibeatur. Verùm nec hæc sufficiens
est, siquidem hæc definitiones tanquam ab effectu de-
sumptæ formâ specificâ, per quam restringitur genus
ad solum definitum, ut hoc restringatur à reliquis, ca-
rent; quod tamen ut definitio aliqua perfecta censea-
tur, ut ex Logicorum Scholis patescit, maximè requi-
ritur. Deinde aded angustis circumscripta est cancel-
lis, ut contra omnem rationem & expressissimos juris
textus, quales sunt *Tit. Inst. quibus alienare licet vel non L.*
pen. & ult. C. qui testam. facere possunt L. 69. §. fin. L. 77. §.
Libertis de Legat. 1. L. 7. §. fin. de Distract. pignor. L. 3. C. de
Condict. excludat pupillos, minores, prodigos & pro-
prietarios, usum fructum aliis concedentes, quos
tamen cæteris paribus Dominos esse, nemo inficias
ibit. E contrariò ex his definitionibus & illud ab-
surdum elici posse, tutorem, curatorem, imò & procu-
ratorem, quibus disponendi facultas ex conventionem
aut lege concessa, contra omnem juris dispositionem
Dominos esse, cuilibet videre facile est. Baldus de-
finit *Dominium per proprietatem cum plena alienandi po-*
tentia in L. 3. §. 1. C. de secund. nupt. Verùm nec illa ex-
haurit latitudinem definiti, siquidem *Dominium in*
potentiori significatu est terminus latior proprietate
& non

& non improbabile esse superius diductum, proprietatem tanquam partem integrantem domini pleni esse. Constat verò totum per partem definiri non posse. Nostram etiam non facimus *Donelli L. 9. Com. I. Civ. c. 8. & ibidem in notis Hilligeri sententiam, statuendum Dominium esse jus in re sua*. Cum ea ipsa omnibus jurium in re speciebus applicari de facili possit, quippe nec servitutum, nec possessionem aut pignus habenti jus quoddam, licet diversum ratione diversitatis jurium jure denegari possit. Nec juvat Donellum particula adjecta *sua*, siquidem & res illa, in qua alicui servitus aliqua constituta, certo respectu, ratione emolumenti scilicet & utilitatis illius dici possit. Exhinc cuivis patescit, dictam Donelli definitionem suo definito latiore judicandam. Nec novus iste Försterus novissimam & JCrus alias incognitam definitionem suam nobis arripiendam persvadebit, qui etsi innumeras recensendo definitiones magni subsellii Doctores corrigere haud erubescat; nihilominus tamen vix locum reperire potuit, in quo acquiesceret, & cum jam jam se acu rem tetigisse crederet, valde tamen hac in parte hallucinatus est, dum Dominium describere maluit *per jus patrimonij rei Dominandi*. Quilibet enim certus est, vocabulum patrimonij quatenus *in Tit. Inst. de R. D.* in latissimo significato sumitur, non pro bonis, quæ liberi ex hæreditate parentum accipiunt, sed pro bonis undecunq; quæ sitis omnem facultatem circa res in patrimonio denotare, & per consequens tam jus in re, quam ad rem comprehendere. *Arg. L. 49. de V. S. L. 1. §. 7. in fin. ff. de Offic. pref. Urb.* prout superius negotium hoc jam tum satis decisum. Et cum vocabulum Dominandi Förstero idem sit ac disponendi iterum laborat definitio, quippe quæ ex-

cludit illos, qui, quamvis Domini sint, nihilominus libera disponendi facultate non gaudent, ut ex sapienter citato *Tit. Inst. de his quibus alienare licet l. non*, manifestum est.

VII. Reliquas definitiones ut taceam, quas brevitate amore hic præterire placet, describimus Dominium quod sit *Jus*, quod quis in ipsam rei corporalis habet *substantiam*. Genus hujus definitionis *Jus* constituimus, quod ab omni primitus liberandum ambiguitate; ne genus ambiguum, aut nimis æquivocum posuisse censeamur. Reperitur id quandoque in jure nostro sumptum pro ipsa Jurisprudencia seu juris arte in *Tit. Instit. de I. & I.* Unde etiam hujus artis periti vocantur *Juris Studiosi* in *L. 1. ff. de Off. Assess. L. 9. ff. de Pœnis. L. 4. ff. de Var. & extraord. cognit.* Interdum & pro æquitate seu æquo & bono, quod justitia in rebus constituit, id receptum videre licet *Arg. L. 32. de reb. cred. L. 2. §. fin. de O. & A.* Nec raro pro justo seu legitimo i. e. quod lege est præscriptum vox juris usurpata *Tit. de Ignor. Juris & facti.* Et ita in eo sensu opponitur injusto, unde & injusti dicuntur Legum violatores, qui legibus non obtemperant. Frequentissimè denotat potestatem aliquam in persona, unde quædam dantur suæ potestatis, quædam subsunt potestati alienæ in *L. 5. ff. de Adopt.* Imò & loco, in quo Jus redditur per quædam improprietatem vocabulum Juris tribuitur *L. 4. §. 1. ff. de Interrog. in Jur. faciend. L. 1. de in jus voc. L. 6. ff. de fer. L. 56. ff. de re Judic.* Usurpatur etiam pro jure reddito seu applicatò in *L. 2 §. 13. de O. I.* quod quandoque in Jus iniquum degenerat, illudque prætor concernit ratione intentionis, *L. pen. ff. de I. & I.* Datur quoque ratione diversitatis circumstantiarum Jus justò melius, cujus insigne exemplum videre licet, in materia usu-

usucapionis. Quamvis enim Jus, quod scriptum appellamus, in se & sua natura nulla polleat iniquitate; nihilominus tamen, si in hypothese id consideremus, circumstantiarum varietas ex summò jure summam facile producere poterit injuriam, nisi æqvitatì adhibeamus auxilium, aut rationem exteriorem ac civilem internæ ac naturalis præferamus valori. Tandem vocabulum Juris usurpatum invenio pro titulò, quo quid acquisitum *in L. 10. Si serv. vind. L. ult. de aq. & aq. plu. arcend.* Sed missis omnibus hisce significationibus, accipio vocabulum juris pro qualitate Jure constituta *Arg. L. fin. C. ne rei Domin. l. templor. vind.* seu pro Jure, propter quod res nostra est, *juxta L. 3. C. de præscr. 30. & 40. annorum L. 13. § 1. L. 19. de damn. infect.* Nec Jugulum causæ petit, quod *in L. 13. § 1. L. 19. pr. ff. de damn. infect.* Jus in re Dominio contradistingvatur. Textus enim citatus non est accipiendus de pleno jure in re, sed de illo, quod quis habet circa accidentia tantum rei alicujus. Sic usufructum habens, habet etiam jus in re, sed non in ipsius rei substantiam, sed emolumenta tantum, quæ usufructuarius ex illà re percipere habet.

VIII. Porro in definitione rationem differentie desumimus ab objecto & formà. Objectum constituimus res & quidem corporales tantum. Ubi gravissima & inter Doctores longè celeberrimos valdè exagitata occurrit quæstio. *An etiam rerum incorporalium detur Dominium?* Propugnant acriter hanc sententiam *Bachovius ad Treutl. Vol. 2. Disputat. 20. Thes. I. Lit. L. Ungepaur. Exercit. Exer. 5. quæst. 3. Vultejus ad Prin. Inst. de R. D. n. 20. Först. in Tract. de Domin. c. 5. Membr. 2. Zoës. in Corn. ad ff. de A. R. D. n. 2. Treut. Volum. 2. Disput. 20. Thes. I. Lit. L. Schneid. ad §. 11. Inst. de R. D. n. 2. & alij quamplurimi.* Ut inde

inde confiteri necesse habeam, rem adèò intricatam esse & involutam dissentientium nebulis, ut, quid statuendum in harum opinionum conflictu sanè Delionatore hic opus esset; Si quid tamen cum venia tot dissentientium virorum nobilissimorum dicendum sit, in negativam descenderem sententiam, non attendens, quod contradictores non tam textibus, quam etiam rationibus satis muniti, nobis objiciant: Quod Dominium quandoq; in Jure nostro tribuatur rebus incorporalibus, ut possessioni *L. 2. vers. si verò C. ubi in rem act. exer. debet. L. 9. C. de Pignor. L. 11. C. de omni agro desert.* Et servituti *L. 15. §. 8. ff. quod vi aut clam.* Et pignori. *L. 10. §. 1. ff. quib. mod. pign. l. hypoth. solv.* item usufructui *L. 3. ff. si usufr. pet. L. 4. de Usufruct. L. 118. in fin. pr. ff. de V. O. L. 70. §. 2. de Fidejussor.* Imò omnis vindicatio præsupponat Dominium *Arg. L. 23. pr. de Rei vind. L. 27. pr. ff. de A. R. D. & vindicatio sit actio ex Dominio fluens L. 14. §. 2. de Except. rei jud. §. 1. Inst. de Act.* Servitutes autem & peti & vindicari constet *ex toto Tit. si serv. vind. L. 1. in pr. L. 5. §. 1. & 2. si usufr. pet. L. unic. §. 4. de Remiss. & Vasallus dicatur habere rei vindicationem 2. F. 8. §. Rei autem.* item Emphyteuta. *L. 1. §. 1. Si ager. vect.* Porro & id afferunt dictæ sententiæ propugnatores; Quod detur Dominium proprietatis seu rei, ideoq; & aliud Juris. Rationem consequentiæ desumunt ab eò, quod aliàs frustra adjectum videretur vocabulum proprietatis, nisi discernendæ alterius speciei causa id fieret. Insuper & eo commoti videntur. Quod & res incorporales præcedente justa causa tradi possint. Proferunt quoq; *L. 23. in prin. de R. V.* cujus legis vi tale struunt argumentum. Quicumq; habet actionem in rem, ille est Dominus. Subsumunt; Usufructuarius, creditor habent

habent actionem in rem, E. usufructuarius, creditor sunt Domini, Et per consequens datur Dominium rerum incorporalium. Ultimò adstruunt, quod per cessionem nobis acquirantur Dominia *Ulpian. in Fragm. Tit. de Domin. & Acquisit. rer. 19. §. 1.* Res autem incorporales etiam cedi dicuntur veluti usufructus. *d. Tit. 19. §. 10.* E. per consequens cessione rerum incorporalium acquiri nobis Dominia. Restant adhuc quamplures dictæ sententiæ subscribentium rationes, quas omnes annectere pagellarum angustia prohibet, sufficere enim crediderim potiora allatæ opinionis defensorum argumenta recensuisse.

IX. Atverò, etsi hæc ipsa fundamenta prægnantia satis videantur, ut aliquem ad hujus sententiæ propugnationem commovere de facili possent; longè tamen prægnantiores negativæ sententiæ rationes judicaverim, unde & illi calculum addere haud vereor. Constat igitur rerum incorporalium non esse proprie dictam possessionem. *L. 32. §. 1. de Serv. urb.* & sic nec Dominium proprium. Dominium enim ex naturali possessione cœpit esse, quæ naturalis possessio requirit corporalem apprehensionem *Arg. L. 43. §. 1. ff. de A. R. D.* sed hujus inhabiles sunt res incorporales, quippe quæ nec tangi nec videri possunt, ideò nec Dominium in strictiori & proprio sensu de illis prædicari poterit. Tandem & novos Justinianeos latere nequit, rerum corporalium rei vindicationem esse. *§. 1. Inst. de Act.* Neq; verò præsumendum, Imperatorem sine prægnanti emphasi rei corporalis tantum fecisse mentionem, suffecisset quippe, si in genere de re ab alio possessâ ipsemet dixisset. Imò expressè negatur, rerum incorporalium vindicationem dari *in L. 56. ff. de R. V.* Ad quam legem rectè commentatus est *Dionysius Gothofredus:*

C

dus:

das: & jurium incorporalium (petuntur enim confessoria) nisi per consequentiam rei corporali accedant. Confirmat quoque in genere nostram sententiam, quod tam in ff. Titulus de A. R. D. quam etiam in Inst. Titulus de R. D. rerum tantum corporalium acquisitionem contineant, nec ullus textus de acquisitione rerum incorporalium loquatur. Imò planè distinctis ut distinctæ materiæ dicti tituli à tit. de usufructu de servitutibus & similibus sunt locati sedibus. Rationabile autem censeo, Romanos compilatores hanc differentiam ingentem haud latuisse, quod cuius materiæ singularem adscripserint locum. Afferendum potius, eos, ut Tyronibus omnem dubitandi aut seipso confundendi præscindant viam, improprietatem, quæ quoad vocem Domini usufructuario tributa alios facilè in errorum laqueos inducere potest, probè & subtili satis intentione annotasse. Appellat scil. Jcti usufructuarium quasi Dominum non una vice in jure nostro: præcipuè in L. 22. pr. ff. de aqua & aqua pluvi. Et apertissimè Romanos Legumlatores differentiam inter distinctissimas illas Juris in re species constituisse apparet ex L. 43. §. ult. ff. de furt. L. 19. L. 20. ff. de damn. infect. L. 30. ff. de noxal. act. L. 8. §. 4. ff. de Relig. & sumpt. fun.

X. Et hæc sunt fundamenta nostra, quibus nostram sententiam satis superq; corroborari posse confido. Nec adeò firma judico ea, quæ contrariæ sententiæ propugnatores sibi sufficientissimos imaginantur. Primò equeidem argumento superius in ambiguitatis evolutione jam tum satisfactum, vocem nimirum Domini in latiori significato quandoq; acceptam reperiri, quatenus quodlibet Jus in re denotat. Unde in eo sensu & usufructus datur Dominium in L. 3. si usufr. pet. Sed nobis non sufficit generalior illa denotatio,

tatio, ad specialem potius & propriam Domini signi-
ficationem descendendum, ex qua mirificam jurium
in re nasci distinctionem jam ante probatum dedi.
Neq; improbabile est, si asseram explicationis gratia
vocem Domini adjectam esse, & Dominium E. g. pos-
sessionis idem esse quod possessionem. Nec movet,
quod de vindicatione rerum incorporalium afferunt
dissentientes, concedo quidem, vindicationem quan-
doq; quamlibet juris in re assertionem denotare, illam
tamen rejiciunt Doctores, rei vindicationis propriae
sic dictae naturam subtilius ponderantes. Dominium
potius & proprietatem rei, vindicationem tantum
producere communi Jctorum ferè consensu decisum
§. 1. Inst. de Act. L. 1. §. 1. ff. de R. V. In priori certè sensu
non uno loco pro quavis actione in rem actioni in per-
sonam apposita positum reperitur *L. 25. pr. ff. de O. & A.*
Et ita utraq; largior manu, servitutes & alias res in-
corporales vindicari posse, vi textuum ab adversariis
adductorum, praecipuè quod & hypothecariae, à rei
vindicatione aliàs immani quantum distanti re vin-
dicare tribuatur *in L. fin. ff. de pign. act. L. 7. C. de O. & A.*
Sed haec omnia desiderium accuratius naturas actio-
num scrutantium non exsatiare videtur, nec curiosae
Romanorum subtilitati rudis hinc procedendi modus
convenire censendus. Aliàs enim absurditatis aut
inutilis & perditae frustra operae accusandi essent Ro-
mani, quod singulis juribus propria tribuerint nomi-
na, Domini, servitutis, pignoris &c. Si distinctas ex iis
actiones & effectus diversos nasci noluisent. At verò
haec de nostris Jctis praedicare summam improbitatis &
extremam ingratitude dixerim. Aliam itaq; actionem
ex Dominio, aliam ex aliis juribus in re promanare
nec Juris Tyronibus ignotum esse poterit. De Vasallo



verò & Emphyteuta quæ fuere subjecta, sapiunt confusionem, quippe Vasallo & Emphyteuta tribuimus omninò Dominium, cujus efficacia ei feudum & fundum emphyteuticarium ad successores transferre, abhibitis debitis requisitis alienare & ab alio possessum vindicare potest. Neutiquam igitur textus allegati nobis obsunt, mirificè potius nobiscum conveniunt. Multò minus obstaculo esse potest argumentatio à Dominio proprietatis ad dominium juris ducta. Elegantissimè illam consequentiam refellit. *Dn. Hahn de A. R. D. n. 1. verb. Dominium est jus.* Ubi simul asserit, metonymicè vocem proprietatis pro re ipsa non infrequenter acceptari §. 1. & ult. *Inst. de Usufr.* Quid itaq; prohibet dicere & in citatis textibus proprietatem rem ipsam denotare. Et fortè non rejicienda *Bachov. ad Treut. l. Vol. 2. Disp. 20. Thes. 1. Lit. K. sententia: Dominium proprietatis non dici oppositivè ad Dominium ususfructus, sed ad Dominium plenum & per illud intelligatur alium Jus in re habere.*

XI. Fortioris longè ponderis rationem à justo Titulo & causa ductam judicat *Bachovius d. T.* Verum omittunt ita argumentantes ea, quæ non sunt omit-tenda, sed strictissimè adjicienda. Non quilibet Titulus & causa nec quælibet traditio Dominium transfert: Nè aliàs in ingentes absurdorum errorumq; laqueos nos inducamus. Talis hic supponendus titulus & traditio est, quæ sufficiens judicetur ad Dominii translationem. Nunquam inficior servitutes legari, vendi & aliis modis transferri posse inductus *L. 3. §. 2. ff. de Act. Empt. L. 3. pr. ff. de Usufr. §. ult. Inst. de Servit. præd. urb.* iis tamen modis non Dominium rei, sed aliud Jus in re circa emolumenta hujus consistens transfertur. Ex intentione agentium æstimandum quid Juris transferre velint, vel non; transferentem sc. tradere animo

conce-

concedendæ facultatis, quæ ipsam rei substantiam af-
ficiat & liberam disponendi potestatem concedat. Sed
hæc dubio procul cessabunt in venditione aut alia
translatione ususfructus vel alterius servitutis in re
aliquâ. Javoleni itaq; sententiam *in L. 55. ff. de O. & A.*
hic ad partes vocare liceat. *In omnibus rebus, quæ Do-*
minium transferunt, concurrat oportet, affectus ex utraq;
parte contrahentium. Optimè itaq; asserere possum, in
translatione alterius Juris in re præter Dominium,
non adesse affectum transferendi Domini; nisi eò ab-
surditatis delabi velim, eum, cui jus quoddam in re
aliquâ conceditur, majorem adipisci potestatem quam
concedens voluit. Nec minus objecti ratio hîc quam
maximè habenda, quod res corporales præcisè Do-
minii naturam desiderare superius latisimè proba-
tum. Duo itaq; cum jam deficient requisita, quæ Do-
minii quasi ingrediuntur essentiam, quomodo dici
poterit servitutum aut pignoris transferri posse Do-
minium? Possunt insuper hic & ea repeti, quæ pro
nostrâ stabiliendâ sententiâ de naturâ traditionis na-
turalem possessionē rebus incorporalibus denegatam
præsupponentis superius adduxi. Nec major vis attri-
buenda argumento adversariorū ab effectu desumpto.
Dicta equidem lex 23. non dicit, quemlibet illum esse
Dominum, qui habet in rem actionē, sed potius, quod
Domino in rem actio competat. Cum itaq; legis hujus
sermo tantum sit de Domino, exclusō usufructuariō,
creditore & reliquis, qui aliquod jus in re habent, im-
pertinenter hic citatur, quippe quæ non probat, quod
probandum erat. Causa itaq; actionis in rem tam
Dominium, quam reliqua jura in rem esse possunt.
Parvi etiam momenti illud erit, quod ultimò propo-
nunt dissentientes; Percessionem rerum incorpora-
lium

lium nobis acquiri Dominium. Neutiquam enim id universaliter procedere arbitror. Sic enim tutela, libertas in Jure nostro cedi dicitur, quorum tamen Dominium esse cuilibet colligere facile est. *Ungepaar Exerc. 5. quest. 6.*

XII. Sufficiant hæc dixisse de primâ differentia nostræ parte nempe objecto Domini; restat nunc, ut & alteram paucis examinemus, quæ desumpta à formâ specificâ, per quam differt à reliquis speciebus Juris in re, & illam constituimus in vocabulo *Substantia*. Hæc enim nota est, à qua distinctio petenda. Siquidem hæc sola species Juris in re comparata est in ipsam rei substantiam, ut inde in cujuslibet Domini arbitrio positum sit, de re suâ pro lubitu statuendi atq; disponendi, eam alienandi imò & vindicandi à quolibet possessore per *L. 13. ff. de R. V. §. 1. Inst. de Act.* Reliqua verò jura in re, comparata sunt, non in ipsius rei *Substantiam*, sed *Accidentia* ejusdem & corporis *qualitates*. Non attendo hic accuratiorum quorundam, ut sibi videntur, sententiam, sibi persuadentium unicum tantum in re jus esse, nempe Dominium, quin potius cum *Magnifico Dn. Habnio in observat. ad Wesenb. Part. 2. ad Tit. de A. R. D. n. 3. & Disput. de I. Rer. & Nobilissimo Dn. Enoch Glefero in Dissert. contra Born.* constanter asseram, quinque dari species Juris in re: Dominium nempe Pignus, possessionem, servitutem & jus hæreditarium. Dominium quam maximè discrepat à pignore, quod tantum comparatum, in securitatis præstationem. Hinc creditori non Dominium, sed aliud aliquod Jus in re assignatur in *L. 19. pr. ff. de damno infect.* Quin tamen speciebus Juris in re sit assignandum pignus, nemo nisi Juris ignarus in dubium vocabit. Omne autem Jus in re producit actionem realem. Forma enim juris
in re

in re nihil aliud est, quam qualitas illa quæ immediatè
& directò rem ipsam, postquam reverà jam acquisita
est, afficit intrinsecùs & qualificat ad producendos
certos effectus. Intuitu illius Juris, quod quis in re
quadam adeptus, huic certa & determinata concedi-
tur actio; Omne siquidem Jus in re aptum natum
producere certam & realem quandam actionem. Ve-
rum ut aliàs quandoq; ; Sic & hic ab effectu ad causam
argumentari possumus, quoniam scil. peculiaris & rei
vindicationi contra distincta ex Jure pignoris oritur
actio, ideò etiam necesse, ut peculiare quoq; pignus
sit jus in re diversum à Dominio. Appellatur autem
illa actio generaliori nomine actio hypothecaria se-
cundum *Bachov. ad Inst. de Act. §. 7.* aut accuratius cum
Imperatore *in d §. in specie Serviana* aut quasi Servia-
na. Hanc creditor instituere potest, juxta naturam
actionum realium contra quemcunq; possessorem
*§. 7. Inst. de Act. Neutiquam tamen obesse potest L. 16.
§. 3. ff. de Pign. L. fin. ff. de Pign. act.* ubi dicitur actionem
realem ex pignore esse speciem rei vindicationis.
Omnis verò vindicatio præsupponit Dominium *L. 25.
pr. ff. de O. & A.* ex antea enim dictis constat abundè,
vocabulum vindicationis & actionem in rem quando-
que Synonyma esse *§. 15. Inst. de Act. L. 28. de O. & A.* &
æquipollere vindicationem actioni in rem, quatenus
generaliter & confusè vocantur vindicationes & de
hâc vindicatione intelligendi etiam sunt textus citati.

XIII. Deinceps possessionem cum proprietate
aliquid commune habere negat *JCtus in L. 12. §. 1. de
Acquir. vel amitt. poss.* quoad identitatem scil. specificam.
Hæc enim comparata saltem est in detentionem &
proinde longè infirmius Jus ipsò Dominio. Neq; enim
agens servianâ dicit, rem suam esse, ut rei vindicatio-
nis

nis formula exigit, sed fundamentum actionis suæ
quærit in Jure pignoris, quod acquisitum ipsi in rebus
alterius. Et quomodo quæso per rerum naturam
istiusmodi Jus Domini nomine venire poterit, quod
pignoratæ rei Dominium semper penes debitorem
maneat, nec unquam ad creditorem transeat *L. 12. pr.
ff. de distract. pign. L. 9. C. de pignor. act.* Summatim, qui-
vis intentionem rem pignori supponentis examinatu-
rus ingentem hanc Domini & pignoris differentiam
utraque manu exosculabitur. De cæterò ratione gene-
ris & accidentium inter hæc duo in Nob. Dn. Hahnio
quadruplicem communionem esse dixerim. Et i. qui-
dem aliquid commune habent *ratione naturæ*, quia
utrumque jus in re est. 2. *Ratione consequentiæ*, quia pos-
sessionem sequitur Dominium *L. 1. §. 1. de Acquir. vel
amitt. poss.* 3. *Ratione connexionis*, quia si ex causa Do-
mini à possessore & Domino transfertur possessio,
tunc non saltem possessio, sed & aliud fortius Jus,
nempe Dominiū transfertur. 4. Denique *ratione nominis*,
quod hæc duæ species nonnunquam pro Synonymis ha-
beantur *L. 78. de V. S. de quo latius supra.* Producit
autem possessio, seu ut rectius dicam, Jus possessio-
rium actionem realem, quæ Publiciana vocatur, &
competit possessori bonæ fidei ex Lege prætoriam Do-
mini vicem per positivam juris prætorii fictionem
sustinenti ob prælationem respectu extranei ipsi meri-
tò concedendam *L. 138. ff. de R. I. contra quemcunque
alium possessorem §. 4. Inst. de Act.* Concedere interim
necesse habeo, dari & rei vindicationem contra quem-
libet possessorem; maxima tamen restat discrepantia
inter Dominium ut causam rei vindicationis pro-
priam & possessionem dictæ actionis publicianæ fun-
damentum. Quod in illâ præstat Dominium, id in hæc
efficit

efficit possessio bonâ fide munita, svadens possessorem respectu extranei pro Domino habendum, ne fortè is, qvi rem accepit, cum damno ejus qvi rem illam bonâ fide acquisivit, modo æqvitati maximè repugnanti fiat locupletior. Sed superius dictum, actionis diversitatem & agentis intentionem & juris qvò se fundat agens, varietatem producere specierum Juris in re multipliciter.

XIV. Nec minor servitutis & Domini hic deprehendenda discrepantia, ob Legislatricem Imperatorum juxta ac Jctorum autoritatem *in L. 13. §. 1. C. de Judic. L. 1. §. 3. ff. de Remis. L. 19. pr ff. de damn. infect.* Comparata quippe servitus non in ipsius rei substantiam, sed in ejus tantum emolumentum & utilitates. Et producit servitus ut peculiare quoddam jus in re peculiarem quoq; actionē, quæ confessoria & negatoria insignitur nomine, in cujus ipsiq; institutione longè aliud fundamentum supponit acturis quam rei vindicationem instituens. Scil. rem ipsam petit domini jure nix, sed cui servitus constituta in emolumento ac utilitate sibi aut suis prædiis conducente & peculiare quoddam jus in re tanquam causam productivam præsupponente intentionis suæ positum habet fundamentum. Et natura igitur & intentio ac finis agentis ex Jure servitutis, nec minus fundamentum actionis singularem Domini & servitutis facile subministrabit differentiam. Quinta tandem species juris in re Dominio contradistincta, hic venit defenitanda. Neutiquam asserere vereor, planè alienum esse ab ipsâ hæreditate Dominium. Differunt utraq; specie & definitione; Hæreditas quippe titulus universalis reputatur, unde & actio, quæ hereditatem à quocunq; possessore petimus in digestorum ordine inter judicia universalia locata,

D

sed

sed Dominium circa res singulares tantum occupa-
tam, hinc & actio ex eo fluens in longè diversâ locata
serie. Intentio igitur hæreditatem petentis & nostram
confirmabit sententiam, quod hæres agens non præ-
tendat Dominium, nec servitutem, nec possessionem,
nec pignus, sed jus quod defunctus ad eum transmisit,
L. 29. ff. de V. S. Unde formam Dominiæ specificam
superius in rei proprietate posui, id est Dominium
tantum ad res proprias pertinere. Sed hæreditas &
alia continet, quæ propria defuncti non fuere *L. 19.
ff. de petit. hered.* Sic res pignori data defuncto ab ipsa
hæreditate non excluduntur. *L. 10. C. de pignor. Act.* Et
res commodatæ depositæve ad hæredem spectant, etsi
defunctus de earum proprietate sibi gloriari haud
potuerit. Differunt etiam Dominium ac possessio,
quod illud tantum comprehendat res corporales.
Hæreditas verò ex suo ambitu complectitur res incor-
porales. Imò & sine rebus seu bonis hæreditas con-
stare potest, per *L. 50. de hered. petit*; Dominium verò
neutiquam. Nec contradicunt nobis *L. 48. pr. ff. de
hered. Inst. §. fin. de hered. qual. & diff. L. 19. §. 3. ff. de Castr.
pecul.* quippe quæ nihil aliud insinuant, quam quod
hæreditas Dominium & hæres Dominus in latiori signi-
ficatu appelletur. Producit autem hæc species ut
peculiare quoddam jus in re & peculiarem actionem
realem quam hæreditatis petitionem jam tum appel-
lavimus. Differre autem immane quantum hæredi-
tatis petitionem & rei vindicationem nemo facile
inficiaturus, ut adeò diversæ species juris in re neces-
sario hic videantur supponendæ.

XV. Videamus nunc de distributione Dominiæ.
Quamvis enim Dominium in sese consideratum uni-
cum sit & numero, & substantia, nec in species dividi
possit

possit *Arg. L. 14 §. 2. de Except. rei Judic. ut rectè sentit Giphanius ad §. 11. Instit. de R. D. Trent. Vol. 1. D. 15. Tb. 2. lit. G.* diversas tamen qualitates habere dicit *Gotthofr. ad L. 20. C. de pact. & proinde, si non in species perfectas ut rectè monet Nob. Dn Lud. in Exercit. Disput. 4. Tb. 4. in gradus tamen distribui poterit. Siquidem quam variis modis divisum sit Dominium, apud Först. in Tract. de Domin. c. 5. videre licet. Et potissimum quidem ratione causæ efficientis, apud Romanos duplex erat Dominium, teste Theophilo, Bonitarium, & Quiritarium. Bonitarium quod quis in bonis habebat, unde & bonitarius Dominus dicebatur, sive ut *Vir Jctissimus Justus Meierus in Col. Argent. docet ad Tit. de A. R. D. n. 5. cum res alicui simpliciter fuisset tradita, neq; tamen mancipata (i. e. quæ sine certâ solennitate certis verbis libri-pende & quinque testibus presentibus fuisset tradita Ulpian. de Domin. v. 2) usucapta, in Jure cessa aut adjudicata per judicem.* Quiritarium habebat is, ad quam res pervenerat Jure Quiritum vel per mancipationem vel usucapionem, in Jure cessionem, aut adjudicationem. Dividitur etiam ratione formæ accidentalæ in naturale & civile. Naturale quod gentibus omnibus commune est, i. e. quod iis modis acquiratur, quibus gentes omnes in acquirendis rebus utuntur. Civile est, quod civium Romanorum proprium est, unde etiam jus Quiritum appellatur. Verum cum hæ divisiones sint æquivoci potius in sua æquivocata, imò ab Imperatore nostro Sacratissimo sint sublata in *Tit. C. de nudo Jure Quirit. tollend.* meritò ab illis discedo. Retinens potius vulgatissimam & quamplurimis Jctis approbatam divisionem, quâ illud ratione effectus distribuunt in Plenum, quod proprietati conjunctum habet emolumentum seu usum, & minus plenum, quod iterum subdividitur in*

D 2 directum

directum & utile. Directum, quando penes unum est
proprietas, qui Dominus proprietatis dicitur *in L. 10.*
§. 3. L. 49. de A. R. D. Utile, quando penes alium usus
& emolumentum est, diciturq; Dominus utilis, qua-
lis est Emphyteuta, item Vasallus, & alii, qui quamvis
plenum Dominium non habeant, tam forti tamen
jure in re feudali vel Emphyteuticaria gaudent, ut id
ipsum juxta naturam Domini ipsam rei substantiam
afficiat, & ad aliud jus in re, quam Dominium referri
tutò nequeat. Quà ratione etiam feudum & Emphy-
teutis cæteris requisitis intervenientibus alienari,
& ad hæredes transferri possunt, *ferè non aliò modò,*
quam quò Dominus de re propria disponere pro lu-
bitu potest.

XVI. At verò non frivolis penitus oppugnan-
tes hanc divisionem muniti videntur rationibus. Ab-
surdum scil. esse, rem esse in Dominio, & tamen eidem
servire, cum res sua juxta principium juris nostri ne-
mini serviat. *L. 5. pr. ff. si usufr. pet. L. 26. ff. de Servit.*
Pred. Urb. Hæc enim omninò forent dicenda, si ei,
cui usufructus alicujus rei concessus, speciale assigna-
verim Dominium. Verùm nobis hic non sermo est
de usufructu ut servitute personali, sed de eò, qui
naturaliter sequitur Dominium. Neq; audio hic con-
tradictores hanc divisionem ex eo planè rejicientes,
quod nova sit, & apud veteres Jctos nusquam repe-
riatur nec ullo juris nostri fundamento nitatur.
Concedo quidem novam esse, nec ullum textum in
jure nostro reperiri, ubi divisionis hujus mentio fiat,
nihilominus tamen retinere eam cogimur, nulla alia
ratione moti, quam quod ita consuetudine & Practi-
corum consensu introducta, imò & facilioris explica-
tionis gratia adinventata sit. *Utendum enim planè sermone.*

ut

ut nummo cui publica forma est, ait Quintil. L. 1. Orat. c. 6.
Nec facilè recedendum ab iis, quæ certam interpreta-
tionem hæcenus habuerunt *Arg. L. 37. de LL.*

XVII. Neq; obicem ponit ratio ex alio planè
fundamento petita. Actionum hæc divisionem in
Jure nostro esse, non Domini. Admitto facile, pro-
pterea quod utilis actio in rem prodita est, non statim
Dominium quoq; utile inde appellari, aliter quippe
in jure explicata reperitur utilis actionis quidditas.
Interim tamen Doctores fortè in hæc divisione confin-
genda eò respexerunt, quod, dum deprehenderit
penes Vasallum & Emphyteutam plenissimam rei uti-
litate positam nudâ proprietate penes Dominium
relictâ, & illi utilitati accedat insuper Jus vindicandi,
etiam contra ipsos Dominos directos, aliquod Domi-
nium ipsis necessariò sit assignandum. Tandem nec
debitâ gaudet firmitate, quod ex *L. 1. §. 1. ff. si ager vectig.*
adducitur. Videtur enim vocabulû Domini in poten-
tiori ibidem à Jcto acceptari sensu, quatenus tam
proprietas, quàm emolumentum alicui competit;
aut, quod accuratius Jctus fortè diversimodè Emphy-
teutam considerat; ita, ut relatione ad Dominum
habitâ, propter annuæ pensionis præstationem con-
ductori & colono videatur comparandus, sed respectu
aliorum effectuum omninò Domini sustinet vicem,
quò fortè spectat, quod Emphyteusis in *§. 3. Inst. de Locat.*
& *cond.* cum locatione & venditione conferatur.

XVIII. Restat & alia famosissima Jctorum di-
visio itidem ab effectu desumptâ, quâ Dominium aliud
irrevocabile, quò res alicujus ita propria fit, ut nun-
quam sine facto illius ab eò ad alium transferri possit:
aliud revocabile, quod non perpetuò durat, sed ali-
quando recedit ab eo, qui id modo habuit per *L. 66.*

finis

D 3

de R.

de R. V. Neq; tamen eò ipsò mutari naturam illius, sed
verum interim atq; propriè sic dictum manere Domi-
nium, probat itidem antea citatus textus. Fit enim hoc
per accidens, quod secundum Philosophorum doctri-
nam substantiam neutiquam mutare potest. Contingit
autem quandoq; revocari Dominium vel in con-
tractu emptionis & venditionis, si scil. emptor acce-
perit rem venditam sub pacto de retrovendendo, *Wieder-
verkauflich*. Tale Dominium revocabile quoq; possi-
det bonæ fidei possessor, qui supervenienti Domino
& vindicanti rem restituere tenetur *L. 48. pr. ff. de A. R. D.*
Revocabile quoq; est Dominium si hæres institutus
hæreditatem restituere rogetur, aditâ enim hæreditate
dum vivit, verus est Dominus. Nec minus revocabi-
liter possidet Dominium is, qui sub conditione aut ad
certum tempus tantum proprietate gaudet, tunc enim
adimpleta conditione vel tempore finito cogitur rem
restituere per textum elegantem *L. 66. de R. V.*

XIX. Præcognitâ hætenus definitione & divi-
sione, ordinis ratio exigere videtur, ut tandem deve-
niam ad nobilissimæ hujus materiæ effectum, qui qui-
dem potissimum in eo consistit, ut, cum quisq; rei suæ
moderator & arbiter sit idoneus, non solum re suâ
libere uti frui, prout jura permittunt. *L. 21. C. Mand.*
sed etiam de eâ pro lubitu disponere possit. Adeò
quidem ut, si velit, etiam in mare projicere res suas id
ipsi non censeatur prohibitum. *L. 85. de Condit. & De-
monst.* Et si qua fortè ab aliquo impeditus fuerit Do-
minus, quo minus re suâ uti potuerit, potest contra
eum actionem injuriarum instituere. *L. 13. §. 7. ff. de
Injur. & Fam. Libel.* Repugnaret enim id ipsum Juri &
naturali æquitati, quod sit contra libertatem ab ipsâ
naturâ

naturâ datam rei Domino, ut re pro suâ voluntate non
utatur *L. 9. C. de Judæis*. Interim illud ipsum haud in-
ficiamur, illud arbitrium & moderamen, seu ut rectius
dicam, Liberam dispositionem ad legis præceptio-
nem aut permissionem tantum demensurandam. Ne-
que tamen illa de re suâ disponendi libertas ullam in-
de patietur jacturam: quod libertas omnes haud re-
spuat limites, sed certis inclusa cancellis talis haud
desitura *Arg. §. 1. Inst. de l. Pers.* Ideò quippe Legum
fervi libenter sumus, inquit *Cic. pro Cluent.* ut liberi esse
possimus. Neq; aliud velle dicimur, quam quod ju-
re volumus *Arg. L. 15. ff. de Hered. Instit.* De cæterò an
liberrimam illam disponendi de rebus suis cuius Do-
mino competentem facultatem Princeps jure Impe-
rii, quod à DEO ipsi in bona subditorum concessum,
impedire aut restringere possit, adhuc maxima pende-
lis. Obrepat enim pessima ea sententia, Principibus
fortè blandiendi causa, nonnullis, dictitantibus inde
juri tributam Principi, & ex plenitudine potestatis
concessam etiam extra publici boni & necessitatis le-
gem in bona privatorum grassandi licentiam, tum
quod totius mundi Dominus sit *L. pen. ff. ad L. Rhod. de
Factu.* & bona omnia ipsius sint *L. 3. C. de quadrien. præscr.*
tum quod ipse placitum legis vigorem habeat & ita
pro arbitrio constituere possit, quicquid velit *Arg. L. 1.
ff. de Const. Princ.* At verò concedimus quidem, Princi-
pem (cum grano salis hoc intellecto dictorio) mundi
Dominum esse, per text. Citat. Sed non eâ ratione, ut
inde Dominium singulis in res privatas competens
devorare aut sibi arrogare possit, sed respectu Juris-
dictionis ac protectionis, quam super mundo habet,
aut ut subtilius dicam Jure Imperii. Neq; legem 3.
C. de quadrien. præscript. tractare de bonis privato-
rum,

rum, sed potius de bonis Principis patrimonialibus ipse contextus abunde ostendit, & jam dudum illud observatum à Subtilissimo *Dn. Bachovio ad Wesenb. & dubitante alias Habnio ad Wesenb. de A. R. D. n. 6. §. Princeps. Rectius ergò Sen. L. 7. de benef. c. 5. sub optimo Rege omnia Rex Imperio possidet; singuli Dominio.* Neq; delicta à subditis commissa præbent Principi facultatem bona ipsis auferendi, modò damnati de Jure novissimo habeant descendentes aut ascendentes in tertio gradu *Nov. 134. c. ult.* Nisi fortè crimen læsæ Majestatis sit commissum, quod committentem ob insignem atrocitatem omnibus suis boni privat. *L. 5. pr. C. ad L. Jul. Majest.* Interim non inficior, dari & quamplures alios casus, in quibus confiscatio bonorum sibi locum vindicat, qui videri possunt partim apud Criminalistas, partim apud Commentatores ad *Tit. de bonis damnat.* Neq; inficiamur beneplacitum Principis vigorem legis habere, si illud intellectum velis de eâ voluntate, quæ mensurata secundum præscripta legis divinæ ac naturalis. Non enim quodvis placitum, sed illud demum, quod juri ac legibus divinis consentaneum est, nec in læsionem alterius tendit, vigorem legis habere dicta *L. 1. intendit.* Ponderasse & hoc probè Antigonum Macedonum regem, digna ipsi regio fastigio arguit vox, quæ cuidam dicenti, omnia regibus justa honestaq; esse, integerrima illa occurrebat responsione: *Barbarorū duntaxat regibus omnia justa & honesta sunt; At nobis ea tantum honesta sunt, quæ honesta sunt sui scil. naturæ & ea tantum justa, quæ justa sunt.* Nec aliud intendit piissimum & elegantissimum Papiniani dictum *in L. 15. ff. de Condit. Instit.* Illa saltem principem facere posse, quæ honestè potest, si quidem quæ facta lædunt pietatem existimationem, verecundiam nostram & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores sunt, nec

nec facere nos posse credendum est. Et quamvis etiam Principi in omnes & omnia demandata sit potestas, ita, ut mandata ejusdem nec ullo prætextu, citra extremam impietatem & sacrilegium propè violari à quopiam queant, nec subditi principi rem auferenti resistere, aut vires contra eum experiri debeant. Missi tamen sunt à DEO non ut universi hujus turbatores, sed ut communes ac strenui omnium rerum conservatores. Et impositus est Majestati gladius, justitiam ut observet ac propugnet, & omnia quæq; mala avertendo, omnes, quibus præest, felices atq; florentes reddat, omniq; studio atq; ope id agat unicè, quò communi bono inservire possit; ut indè à patientiâ subditorum, aut interdicta eorum resistantiâ ad principis potestatem non liceat sumere argumentum, ei pro lubitu quæq; faciendi concessam licentiam. DEUS enim est, cui tanquam superiori, administrationis suæ ab ipso concessæ, rationem demum reddere tenetur.

XX. Afferunt ulterius *L. 1. Sam. c. 8. v. 1. & seqq.* quo textu suam sententiam probare conantur: Verum frustra. Cum verò hoc negotium ad sacræ Scripturæ interpretes primariò spectet, meum illud non faciam; interim tamen Samuelem hoc ex ore DEI irati locutum fuisse & jus ac potentiam illam Regis tanquam pœnam temeritatis populo Israelitico prænuñciasse cum Fibigio *Semidecad. Jurispubl. Semidecad. 3. quest. 2.* Klockio *de contrib. cap. 1. n. 19. 20.* Bodin. *de Republ. Lib. 1. c. 10. pr.* Zepper *in explic. LL. Mosaic. Lib. 4. cap. 8.* Nicolao Caussino *de Regno DEI cap. 34.* affirmare ausim. Ulterius, ut dissentientes suæ opinionis aliquos sibi conciliare possint suffragatores corroborare illam conantur textibus I. Civ. ut est *L. 11. de Evict.* Argumentum quoq; desumunt ex *L. 15. §. 2. ff. de R. V.*

E

Cum

Cum verò textus hi tantum loquantur de bonis hosti-
bus ademptis, quorum respectu non ut princeps, sed
ut victor (in cujus potestate ea omnia sunt, quæ in
bello capiuntur) consideratur, impertinenter eos
citatos arbitror, quin potius ipsius proprium esse de-
bet, Jus suum cuiq; tribuere §. 3. *Inst. de I. & I.* & lex
naturæ, Principi æquè servanda, velit, ne quis cum al-
terius damno fiat locupletior *L. 14. de Condict. indeb.*
Nullo itaq; Jure principi concessum esse existimo, ut
subditis suis bona acquisita auferre possit per *L. 11. de*
R. I. L. 2. 3. & 7. C. de Prec. Imp. off. L. ult. C. si contra jus l. util. publ.
L. 10. C. de SS. Eccles. Nisi fortè necessitatis lex ipsum
impellat, aut utilitatis publicæ ratio diversum svadeat.
Ut si fortè domus alicujus subditi aut suburbia mœ-
nibus ita sociata cohæreant, ut ex his incendium vel
insidias hostium vicinitas reformidet, tunc principem
posse jubere ea demoliri, confirmat *L. 14. C. de Oper.*
Pub. Interim ut damnum quod publicæ rei causa alter-
uter subditorum percipit, ut ex publico resarciatur,
curare convenit Principi *L. 13. §. 1. ff. Com. Præd.* Verum
nolo illam sententiam pluribus hic perstringere, nè
actum ab aliis jam diu agere videar. Vertendus po-
tius stylus ad alium & elegantissimum Dominii nostri
effectum, quo Domino alienandi liberè & bona sua
sine ullo impedimentò ad alium transferendi tribui-
tur facultas. Regula Juris est: Rem alienare posse
illum, qui Dominus est, & nihil tam conveniens esse
naturali æquitati, quàm voluntatem Domini volentis
rem suam in alium transferre, ratam haberi §. 40. *Inst.*
de R. D. Verùm hæc regula, ut aliàs, ita & hic maxi-
mam patitur exceptionem, siquidem nec Dominum
semper alienare res suas posse exemplo hic se nobis
Maritus sistit. Ille enim quamvis per traditionem rei
dotalis

dotalis Dominium accipiat per §. 41. *Inst. de R. D.* nec ullo modo Dominium ejus ipsi denegari possit per *L. 1. L. 13. §. 2. ff. de Fund. dot.* nihilominus tamen illud ita restrictum per *L. Jul.* ut regulariter alienare rem dotalem prohibeatur, *princ. Inst. de his quibus alien. licet vel non.* Excipiuntur quoque à prædictâ regula illi, qui quamvis Dominio alicujus rei non gaudeant, facultas tamen alienandi ipso jure illis conceditur, qualis est creditor. Hic enim licet Dominus pignoris sibi suppositi non sit; alienare tamen cæteris paribus eum illud posse, constat ex §. 1. *Inst. quibus alienare licet vel non.*

XXI. Impedit quoque liberrimam hanc alienandi facultatem fragile atque infirmum pupillaris ætatis consilium *L. 1. ff. de Minor.* ita, ut pupillus sine auctoritate tutoris & decreto judicis, quamvis ipsi Dominium rerum suarum neutiquam denegari possit, de rebus tamen suis disponere easque alienare non possit per §. 2. *Inst. quibus alienare licet vel non. L. 15. ff. de Solut.* Excluduntur quoque ab hac alienandi facultate Furiosi, qui, quamvis rerum suarum Domini sint, nihilominus, cum principis facultatis animæ functione depravati sint, & evidenti furoris rabie laborent, absentibus curatoribus omnia frustra agunt. Idem dicendum de prodigis, qui etsi compotes mentis sint, nihilominus ob ludicram suarum rerum administrationem furiosum nasciscentes eventum aliorum consilio indigent. Unde & in *L. 40. ff. de R. I.* æquiparantur furiosis. Nec denique mente captis suarum rerum alienatio competere potest. Etsi enim illis Dominium denegari haud possit; cum tamen itidem tranquillæ mentis alienatione laborent (licet furorum extrinsecus non prodant, & vehementior morbi sit vis in furiosis, quam mente captis) merito ipsis hæc alienandi

mandi potestas ipsò Jure interdicitur. Producit deniq; Dominium & illum effectum, quod si fortè possessionem rei suæ quis amiserit, vi & Jure Domini in re illa sibi competentis eam à quocunq; possessore vindicare possit. *L. 9. in fin. L. 23. L. 66. ff. de R. V. L. 4. 11. 12. 14. C. de R. V.* Sed præsentissimum illud remedium & cuius Domino ferè obvium, rei vindicationis à Jctis insignitum nomine, ulteriori ponderare operâ meritò super sedeo, quod ingentes in ingentibus Juris nostri commentariis de eo extent commentationes.

XXII. Præterea cum Reipub. maximè inter sit, ne Dominia rerum maneant in incerto *L. 1. ff. de Usucap.* Neve privatorum bona diripiantur, in eò ultimo acquiescit sine Dominium ut constituta rerum proprietate, scaturigines litium contentionumq; obstruantur & suo quisq; tutò & securè uti frui possit. Postquam enim Dominandi libido invaserat gentes & natura nihil fermè vehementius appeteret quam proprietatem rerum. Hinc & dictamen rectæ rationis fvasit utile & necessarium societati humanæ tranquillè conservandæ esse, ut quilibet suum in pace & securitate omnigenâ possidere queat. Summo igitur Jure & meritò bonorum communionem, quippe quæ infinita statui & Reipub. afferret incommoda & detrimenta, improbamus, suffulti post alia & eò, quod & ipsis Jctis sæpius dissidiorum mater visa fuerit, præcipuè in *L. 77. §. 20. ff. de Legat. 2. L. 26. ff. de Serv. urb. Præd.* ut indè etiam leges neminem cogant permanere in communiione *L. fin. C. commun. divid.*

XXIII. Restat saltem, ut, consideratâ hæctenus Domini naturâ ejusdem contraria ac destruentia ad partes paucissimis traham. Quemadmodum autem nihil humani in statu suò manet, sed tyrannide quâdam

dam temporis mutatur, nihilq; tam naturale est teste
Ulpianô in *L. 35. de R. I.* quam eo genere quidve dis-
solvere quo colligatum est, ita etiam Dominia rerum
non semper firma stabiliaq; manent, sed & iis modis
desinunt esse quibus & acquiruntur *L. 1. ff. pro de-
relictis.* Ut enim ferae bestiae per occupationem fiunt
occupantium & Dominio nostro subjiciuntur; ita
etiam si aliquando custodiam nostram excedunt, & in
naturalem libertatem se recipiant, iterum cedunt
occupanti, & ita in nostro Dominio esse desinunt.
Et hoc procedit quoq; quoad reliquos ferme acqui-
rendi modos tam de *I. Gent.* quam de *I. Civ.* quos quod
minus praesenti labori subjiciam propositi svadere pu-
taverim rationem. Deinde amitti alicujus rei Do-
minium delicto potest, si qua forsitan gravius aliquid
ab aliquo sit perpetratum *Tit. C. de bonis praescript.* Item,
si factum aliquid à Magistratu sub poenâ privationis
bonorum sit prohibitum *L. pen. & ult. C. de Rescind.
vend.* vel etiam si is, cui beneficium aliquid collatum
est, ingratus extiterit erga donatorem, tunc enim, ne sic
injuriam aut etiam jacturam passus videretur, licentia
commissa est donatori ab Imperatore nostro *in §. 2.
& 3. Inst. de Donat.* rem donatam revocare. Nec ali-
ter res comparata cum filio emancipato, qui excessit
patriam potestatem per *L. unic. C. de Ingrat. lib.* Domi-
nium quoq; morte perimitur, mors enim omnia solvit
Nov. 22. c. 20. Et ideò personâ sublatâ, frustra de ejus
juribus quaeritur. Amittit quoq; Dominium illius
loci quem quis illatione mortui religiosum efficit.
Cum enim loca religiosa divini juris reputentur, & iis,
quæ in nullis bonis prohibentur, assignentur *§. 7. Inst.
de R. D. L. 6. §. 2. ff. eod.* Ideò non potest non insignis
aliqua mutatio suboriri, si aliquis in locum proprium

mortuum quendam intulerit. Jam cuius concessum
Jus, propria autoritate locum religiosum faciendi,
modo vel plenum loci habeat Dominium, vel si pro-
prietatem tantum cum consensu usufructuarii id ex-
pediat *L. 2. §. 7. & 8. ff. de Relig.* vel si usumfructum
tantum, consensum proprietarii quoque adhibere de-
bet. Sed alibi hæc de re latius. Sufficiat repetiisse per
illationem mortui aliquem locum, in quo ille illatus,
humano eximi commercio.

XXIV. Nec obesse puto, quod loca religiosa
exinde censerentur Dominio nostro subiecta, quod,
ut quotidiana testatur experientia, undique ferme certa
pecuniæ summa pro locis sepulchrorum in templis
aut cæmeteriis exsolvatur. Abolendam hanc consue-
tudinem & radicibus extirpandam *in c. 13. X de Sepult.*
censet Pontifex. Irreligiosum enim esset venalia esse
ejusmodi loca, aut ex mortuorum cadaveribus quod-
libet modo lucrum queri. Interim, si consuetudine
alicubi receptum, ut pro exequiis mortuorum ali-
quid conferatur, eam ut piam ac laudabilem servan-
dam judico, non modo, quod Ecclesiæ sustentatio
& cæmeteriorum conservatio inde promoveatur;
Sed etiam, quod exinde non minimam alimoniarum
partem expectare habeant clerici. Ex hinc tamen
non infertur, locum illum privato subijci Dominio,
sed manet omnino religiosus. Neque enim tam locus
quam jus inferendi mortuum in eum locum, per
illam pretii solutionem acquisivi. Sed ipse locus re-
ligiosus, cum Jure inferendi in eum non est confun-
dendus. *Arg. L. 6. C. de Relig.* Multo magis sententiæ
nostræ adversari videtur, quod in quampluribus Juris
nostri locis sepulchra vendi posse positum reperitur,
præcipue *in L. 23. L. 24. ff. de Contrab. Empt. L. 10. ff. de
Relig.*

Relig. L. 53. §. 1. ff. de Act. Empt. Verum ipsimet Juri se ipsos abundè explicant, sepulchrum eo casu accessori obtinere vicem, quod conformandum naturæ principalis. Neq; enim novum multa cum universitatis annexa rebus transire solere, quæ tamen sigillatim alienari aut vendi nequeunt. Argumentum esse potest c. 7. X. de Jure Patron.

XXV. Ultimò & huc non immeritò referenda venit quæstio illa satis elegans: *Si rem quandam amiserimus, an ea statim pro derelicto sit habenda Dominiumq; illius amissum dicendum sit?* Olim quidem inter Antiquos Jctos maxima exorta lis est. Numne statim à facto abjectionis res pro derelicto habenda sit & in Dominio nostro esse cesset, an tunc demùm si ab altero fuerit possessa. Proculiani sibi persuasum habuerunt, tam diu res manere Domini, donec ab alio fuerint possessa. Sabinus autem statim à facto abjectionis res pro derelicto habuit, cujus sententiæ, cum & ipsemet Imp. ad stipulari videatur in §. 47. *Inst. de R. D.* dum eas res pro derelicto habet, quæ Dominus ea mente abjecit, ut in numero rerum suarum esse nolit, nec requirit possessionem alterius, meritò & nos ei calculum adjicimus. Cum autem Imperator præcisè requirat in dicto §. 47. mentem & animum abjiciendi, exindè facilè apparet ea pro derelicto neutiqvam reputanda esse, quæ fortuitò amissa sunt, veluti quæ forsitan de rheda currente collapsa, aut summo capitis periculo navis levandæ & naufragii evitandi causa ejecta sunt, & proindè nullius Dominio subjici possent, quippe quæ non eâ intentione abjecta sunt, ac si in numero rerum suarum amplius habere nolit per §. 47. *Inst. de R. D. L. 2. in fin. ff. ad L. Rhod. de Jactu.* Illudque

que confirmat *Julianus in L. 58. ff. de A. R. D. L. 21. §. 1. de A. I. A. Poss. L. 8. ff. ad L. Rhod. de Factu.* Duo itaq; requiruntur, ut res pro derelicto habita censi possit, ut animus abjicientis sit directus in amissionem, & ipsum abjectionis factum. Utraq; id præstant, quod alterutri eorum divisim considerato denegatur. Contrariari autem hisce videtur *Ulpiani responsum in L. 43. §. 11. ff. de Furtis*, quos tamen textus optimè conciliat *Bachovius ad Inst. Tit. de R. D.*

XXVI. Atque hæc sunt, Lector Benevole, quæ de Dominio tanquam præstantissimo fortioriq; Jure in re in præsentiarum exponere libuit. Quamquam enim arduum nimis susceperim negotium, omnesq; meas excedens vires, ut indè hujus materiæ præstantiam, in quantum mereatur, dignè satis enucleare velle, divino ferè egeat ingenio; neminem tamen hunc conatum mihi vitio versurum confido, probè considerantem vel delineasse quandoq; sufficere ea, quæ ingenii excedunt captum. Tuum interim est, Amice Lector, si qua fortè minus accuratè appositæ sint, illis nihilominus album calculum adjicere & condonare quædam Juvenili ætati, à quâ maturum aliquid & absolutum petere, haud æquum foret, quippe cui ad laudem sufficere potest vel conari saltem præclara.

Domino Dominantium
immortales agimus gratias.

os (✱) oc



Artificem

Artificem si laudat opus, quis dicere nolit
Sat laudatorum jam superesse Tibi?
Vix animi dotes facundo Tuilius ore
Exprimeret melius, quam Tua charta facit.
Jam Tua non solum censetur origine gentis
Nobilitas, atavi quam peperere Tibi:
Nobilior mens est veris virtutibus aucta,
Quam potes acceptam jure referre Tibi.

gratulab. pos.

PRÆSES.

Est hic fructifera suavissimus arboris usus,
Juxta oram quæ consita ripa;
Floribus ut primum, redeunt cum gramina campis,
Captet vere novò mortales:
Post ubi consenuit, maturis frugibus, æstas,
Fœnore multiplici, gravi data
Fucundos pariat fœtus: Ni fallor, Amice,
Tu poteras tali assimilari.
Hactenus egregias nam te quasi trudere gemmas
Uilimus, & florere deinde;
Nunc etiam raros nobis das cernere fructus,
Partus ingenij felices.
Perge bonis avibus porrò: Sic præmia tandem
Accipies permulta laborum.

Nobilisf. Dno Respondenti
Amico suo singulari
h. f.

Christianus Augustus, L. B.
à Friesen.

F

In

In
Disputationem
GENEROSI ADOLESCENTIS,
CUNONIS FRIDERICI
à Bodenhauseu / Eqvit. Brunsv.
DOMINIUM
explicantem.

Absconditus si Sol lateret perpetim
Undis, amor nullus foret mortalibus.
Sic non placet, qui dona sua non publico
Ostendere satagit, sed imis tenebris
Tegit. Foràs prodenda Virtus sedula est.
Quod dum facis, CUNO, hocce scripto publico
Pererudito, prodis indolem tuam
Parente Teq; dotibusq; nobilem
Propriis, probasq; publico Te per tuam
Industriam raram *Dominium* tam benè
Et tam severè & tam politè cum explicas.
Robusta quæ præstabit ætas, excutit
Juvencior, præstatq; se dignam, decus
Quæ subeat olim splendida, Vir splendidus.

Quod auguratur

Constantinus Ziegria, S.S. Th. D.
& P. P.

Ad
Generosum ac Nobilissimum Juvenem
CUNONEM FRIDERICUM
à Bodenhauseu / Eqvitem Brunsvicensem,
Suum
publicè De DOMINIO disputantem.

plebeja

Plebeja mens, viliq̄ ducens sanguine
 Vulgaris indoles genus, vulgaria
 Sectatur, & plebeja studia amplectitur;
 Sed nobilis, grandiq̄ fervens impetu
 Magnus animus, divinam originem sapit,
 Sibiq̄ par, plus semper ultra cogitat,
 Et ardens defungitur negotiis,
 Per summa raptus quæq̄ spatia gloria.
 Talem tibi concessit æquus arbiter
 Mortalium, FRIDERICI CUNO, spiritum.
 Humanioribus eruditum literis
 Primum, docendum excepit historiae fides,
 Et ars regendi subditos, & Principum
 Potentiam, sceptrumq̄ firmandi ac thronum.
 Nunc traditum civilis eloquentia
 Moratur, & venerabilis te Jurium
 Prudentia, & responsa distinent Patrum.
 Mox publicam scandis cathedram, & differis,
 Quid summa rerum, & unde sit, cui competat,
 Quos terminos, quos habeat illa limites.
 Hac, stemma nobile, si potest quicquam, probant,
 Hac, quo Parente vitam ceperis, docent.
 Sic fortitudo pariter & vultus minax
 Produunt Leonem: Sic iter sublimius,
 Patiensq̄ solis oculus, & pinna ignea
 Testantur Aquilam: sic equum pugna notat
 Ardor, sonusq̄ vocis, & alacritas pedum.
 Spectamus illos & stupemus impetus,
 Omenq̄ capimus, tanta si Juvenem juvant,
 Quanta Patria olim præsaturus sis senex.

Otho Prætorius, P. P.

F 2

Die

Je Tugend ist es recht / die einen Edel macht/
Und soll der angeerbte Schein
Von Jupiter und Hercules seyn/
Muß Ihn der Tugend Glanz entreißen dunkler Nacht.

Drumb / werther Gönner / hat Er (nicht wie mancher meint /
Daß Kunst den theuren Adel lähmt /)
Der Wissenschaft Sich nicht geschämt /
Liebt Arbeit und erkiesst was Ehr zu bringen scheint.

Nun b-richt Er aus dem Schranck weist Seinen Adel recht /
In dem der Greissen Ahnen Liecht /
Durch seinen Muth vermehrt anbricht /
Glück zu dem Edlen Sinn / so ziert man Sein Geschlecht!

Dieses schrieb aus Glückwünschendem Gemüthe
Seinem vielgeneigten Freunde zu Ehren


Michael Friederich Lederer /
Vender Rechten Licentiat.



ULB Halle

3


002 618 818




Sb

VDM







B.I.G.

Farbkarte #13

P. 53.

No. 1.
1663
3/2

FELICITER!
DISCURSUS JURIDICUS

De
DOMINIO,

Quem
Consensu Magnifici Jctorum ordinis

PRÆSIDE
RECTORE MAGNIFICO

VIRO
Nobilissimo, Consultissimo, Excellentissimo
DN. CHRISTIANO KLENGELIO,
Jcto & Antecessore Celeberrimo, Curia Electo-
ralis, Consistorii Ecclesiast. Scab. & Facult. Jurid.
Assessore Gravissimo,

Domino, Præceptore ac Patrono suo

aternum colendo
Publicè defendet

AUTOR
CUNO Friederich von Bodenhausen/
Nobil. B.

In Auditorio Jctorum
Ad d. Julii.

Wittebergæ, Literis MICHAELIS Wendt/
Anno MDC LXIII.

